





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.



CYRIACI HERDESIANI. U. J. D. 122

TRIVMVRALIS LESSUS 137

Seu

Super obitum

Trium

Cl 2589

Incomparabilis doctrinæ, & prudentiæ

HEROUM

PHILIPPI MORNÆI PLESSÆI, ARCIS  
ET PROVINCIÆ SALMURIENSIS PRÆSIDIS,  
CHRISTIANISS. GALL. REG.

ISAACI CASVBONI, SAPIENTISSIMO  
BRITANNIARUM & C. MONARCHÆ,

MARQVARDI FREHERI, SERENISS.  
ELECTOR. PALAT.

A CONSILIIS

Hoc Anno M. DC. XIV. pia constantia,

& constanti pietate

*In Gallia, Anglia, Germania*

DEFUNCTORUM

LACRUMÆ

---

SERVESTÆ

Typis Zachariæ Dörfferi,

Anno M. DC. XIV.







*Amplissimo, nobilissimoq; Viro*  
DNO. GEORGIO MICHAELI LIN-  
GELSHEMIO, Serenissimo Electori  
Palatino à consilijs

*Fauitori & amico suo plurimum obseruando.*

S. D.

CYR. HERDESIANUS.

**V**ix nuper Alpium juga superaveram, Vir amplif-  
sime, quum ex Italia, Gallia, & Hispania redux, mæstissimos  
summorum virorum obitus ægro animo intellegerem; In-  
ter eos imprimis fuit TRIAS hæc clarissima, cui parentamus,  
& meritò; non solum quod publica meritis suis mirè adjuverint, sed  
& quod ex amicis nostris non extiterint postremi; Novi equidem,  
quæ noticia, quæ animorum conjunctio cum illis tibi fuerit omni  
tempore, Vnde & Lessum hunc; tuo nomini inscribo, & memoriâ  
magnorum virorum, & scriptionis genere, quod scio, ne tu quidem  
inter seria & graviora negotia exemplo politioris doctrinæ virorum  
adspernaris. Vale vir nobiliss. & tuum HERDESIANUM ama. Am-  
bergæ Kal. Novembreis cl. l. c. CXIV.



LESSUS TRIUMVI-  
RALIS.

**I**nvida fatorum series, virtutibus, eheu!  
Invida Parca, Viros, quorū florere trophæis  
Debeat augustis illustris adorea, quorum  
Met a fuit patriæ fessis succurrere rebus,  
Tollit humo, immeritos pro! funere merfit acerbo.  
Non clypeo, aut lituo, non irrutilantib. armis,  
Non genio, ingenio nullo, vel nectare linguae,  
Vim cohibere velit, vel lurida nectere nodis,  
Fila rapit vitæ pernix Heroas a vitæ.  
Lustrum inlustre rogis, eheu! tumulisq̄, tumultūs  
Qui facibus tum vère gravis, quis undiq̄ bello  
Excutere enisa est fasceis Bellona, penateis  
Vertere Magnatum, & supera infera jungere rixis.  
Vidimus, & nostris nuper quoq̄, lesibus altos  
Luximus Heroas; Te sive Errice, coronæ  
Liligeræ repetam decus immortalæ; Vel almæ  
Altorem pacis, patriæq̄, quietis alumnum  
In duperatorem Rudolphum: sive Dynastam  
Menapiūm, cuius languet Germania letbo:



*Sive Palatinum Fidei, Pacisq̄ columnam  
FREDRICVM; Ensiferum vel te, Christiane, feracis  
Saxoniae; aut puerum Ascaniae, virtute senili  
Qui superare senes nōrat; Conuersus ad Arcton  
Aut Svecum plango, vel te spes summa Britannum,  
Errice, obstupuit quo, Mars, Mare, terraq̄, viuo.*

*Cætera transilio; fileo tot lumina Martis  
Morte recisa citâ; Versu quid Numina dicam,  
Artis & ingenij, conuerso Martis & artis  
Nomine; Barbariem Musis minitantur acerba  
Funera Phœbœi patrum adgminis, ominis ingens:  
Exemplum diri: Sed vos pia numina sevis  
Eripuere minis, bellis, armisq̄, cruentis:*

*Æthereas subiēre scālas vel Scaliger, alma  
Gloria terrigenis; reliquū seu doctior ordo.*

*Te, quem Parnassi collis super æthera vexit,  
Cui Phœbeus equus quævis arcana reliquit  
Solvenda, Hippolyte, de collibus edite diuis;  
Consilio abstraxit Fredericūm, Teutonis oræ  
Impia te abstraxit Clotho, te abstraxit amicis.*

*Huic te conjungam, Lecti lectissime, Phœbi  
Astræq̄ decus, patrem Suadæ, atq̄, lepōris  
Perdidit electi Themidis chorus, atq̄, Thalæe;  
Quem summa Imperij miratur curia, curæ*

*Cui*



Cui Patria leges, prisco cui neētare lingua  
Imbuta; excessit fragili Denæsius orā  
Iselium plangit doctum Basilea, Lycei  
Atq; Urbis laudem fidus qui fouit & auxit.  
Delicia periere virum, virtutis avitæ  
V Velferus vitæ solvit, quo Augusta perennis  
Augetur, Patria ut prudens res auxit & artes:  
Adnumero his mærens Equitem Parnassidos ædis  
Te, Rittershusi, quem, cum sudore dierum  
Æquaret spaciis noctes invictus, ad instar  
Clari equitis, tandem retulisse trophæa laboris  
Fuit, & æternæ famæ laurique triumphos.  
Nec sat; Thespiadum tot numina vulsa catervâ,  
Atq; domos vacuas sapientiâ, & arte relictas  
Paucis Pegaseas annis, & mensibus, eheu!  
Protinus adcessit Ligerim implacabile fatum,  
Arce ubi constiterat Salmuros inter & Andes,  
Morna-Plessæus, quo non præstantior alter  
Marte, vel arte simul; Magni junctissimus illo  
Adfuit Henrici lateri, dum civicus ardor  
Flammis & ferro patrios consterneret agros;  
Nec minus arte fuit clarus, carusq; peritis;  
Arma togæ conjuncta, Ducum perfectio sola;  
Relligionis opus, normam formamq; probatæ



100  
Fuerat hostis ouans Fidei diuellere & aures  
Clauserat, aeterni neu vis penetraret amorq;  
Verbi, dum miseri gerris haesere, vel atris  
Affaniis victi, & Tyberino compede vincti.  
Vexatur Diris Ecclesia lecta, minisq;  
Consilia exsurgunt ipsi contraria, surgit  
Purpureo e caetu porta sine cardine recte  
Monstrum ingens, altum septenis collibus; alta  
Colla sibi jungit, conculcet caetera turba  
Adgmina Christicola pedibus; sentina Latronum  
Mytrifera insequitur, nullo discrimine reges  
Atq; greges, ficto comprehendere retibus astus.  
Haut secus ac undis ratis hinc & fluctibus inde  
Pellitur; heic scopuli exsiliunt, immania cete  
Prorumpunt illeic veluti iuga, turba latronum  
Velifera insequitur puppim, pubesq; minarum  
Turgida; jaectatur dubio lignum equore, Rector  
Dum trahit id retrahitque catus, portuq; reponit;  
Mente Gubernator praerat tibi, Gallia, dextrâ  
Plessæus, velis remisq; adjuuerat alto  
Depressâ puppi depelleret undique missas  
Insidias, subita ne tempestate periret,  
Doctrinae objecit scutum fallacibus hamis,  
Connexam fibris galeam vivacibus, atq;

Ingenij



Ingenij firmis fultum rationibus; Isto  
Papalis fretus tetigit mysteria fraudis,  
Imperium fastu Regum fastigia temnens,  
Luxuriâ elumbum, collectumq; ære piorum,  
Reliquiis Aquila structum, vel mole Quirini.

Doctorem amisit Francorum Ecclesia, Miles  
Ductorem amisit, defensoremq; serenum;  
Ad loquiij eversa est peregrinis ara disertæ,  
Ad quam climatibus longinquis Teutone Britto,  
Cum Gallis Belgæ, atq; alij quis labra rigarat  
Nectareo Phœbus succo, quos Suada regebat;  
Confugere, Viri lingua & sermone refecti.

Gallia plange virum parili cui Musa, vel ipse  
Mars in honore fuit, lingua dextraq; furentis  
Insultus contra Romæ consurgere natum.  
Luge: animos vestros concordia mutua jungat,  
Jungite vos precibus, præco cœlestis amore  
Se jungat vobis & sævum deprimat hostem:  
Discite clara sequi vestigia nobilis artis  
Qui simul & Martis genio Genus extulit, augmen  
Addidit antiquis laribus, divina profanis  
Præfecit, legem meditatus ritè Tonantis.

Alter es Aonidum Pater & Dux inclute campis  
Casubone, bono, qui Musis alite vixti,

Sed



*Sed casu linguis denatus docta sinistro  
Agmina; Jacobi linguis consortia Regis,  
Qui pius Oceani lectissima regna potenti  
Majestate regit, doctis regit artibus orbem  
Vallatum pelago, complet fructu omnia Pacis:  
Fastos è tenebris, veterum monumenta reduxti  
In lucem, linguisq; sales, solitumq; nitorem  
Reddere natus eras, Graiaeq; oracula mentis  
Exprimere, & sacri mysteria Codicis unã.*

*Invidere tuo crudelia fata labori,  
Cum justa inciperes rationis lance BaronI  
Censere annales fandi doctissimus augur  
Quod si fata viri voto meliora dedissent  
Majores in luce moras, dubio absq; venustos  
Errores, salebras nugarum syrmate textas  
Veri purgasset limã, vel lumine verbi.*

*At vos, felices anime, quibus Anglia felix,  
Pergite opus finire, graveis diuellere fastos  
Coedibus & grauidum! fastum turbare nefandis.  
Principis exemplo populus conducitur; astris  
Admouisse scalas uera Pietate, fideq;  
Jacobus cepit constans, qui flectit habenas  
Oceani: uobis exemplo regnat & orbi:  
Hoc casu Stagiraë bono neglecte reuixti,*

*Vixistis*



Vixistis reliquæ Graiæ Latæque Camœnæ  
Hoc casu, casuq; simul cecidistis iniquo,  
Hoc quoq; purgata est series duce temporis; atq;  
Prisca Patrûm multis viduata volumina mendis.  
Omnigenæ hinc cultrix, cultore, Britannia, Rege  
Artis, honore Virum fovit, fovitque labori  
Herculeo, florens quo quondam & docta futura  
Posteritas, fructu cuius conducitur orbis.  
Scilicet adgnovit meritum memor INSULA rarum  
Dum virum coluit, Divum dum protulit astris;  
Corporis exuvias tumbas propè grata locavit  
Regales, Regum quæ condita corpora servant.

Felix, ter felix! regnum, Respublica, Princeps,  
Præmia quum tribuit VIRTUTI, hinc omne virere  
Viribus atq; viris cernes. Ubi serva jubetur  
Esse levi Generi, numis, sorti q; caduce,  
Livor edax cum cuncta negat, cum fulminis instar  
Alta petit; malè post a status causa, ordinis expers.  
Dedit a mens numis nimis, heic minus edita virtus;  
Moribus his hominum stat res & vita protervis.

Intulit hinc astris veneranda Astræa FREHERUM,  
Ejus ut incubuit castris symmysta, sagacis  
Viribus ingenij, qui pulpita Myrtilis olim  
Incoluit, cuius subsellia Principis ore

B

Recta



Recta, Palatinos qui fastos, jura, penateis,  
Doctis inseruit chartis, cum laude disertus  
Tutelæ explicuit nodos latebrasq; supremas  
Defendit tabulas FREDERICI, enigmata solvit;  
Tanta virum torsit Nicrini cura Leonis!  
Munera quin etiam summo legatus obivit  
Judicio, summa rem dexteritate peregit,  
Regibus & ducibus foret admirabilis isthinc;  
Hocce VIRI potuit doctæ facundia linguæ  
Ingenij hoc potuit currentis flumen & oris:  
Dotibus abstineo reliquis; Antiqua FREHERUM  
Adgnoscent monumenta virum, lapidesq; loquentur;  
Ast quem nunc veterum tumbæ, arcus, cumq; theatris  
Pyramides, statua, collapsaq; mœnia portæ  
Indicem & ingenij limati iudicem habebunt?  
Montis apex GRUTERUS adest Heliconis, honorem  
Antiquis vivus reparabit, & integra priscis  
Sensa animis; LINGELSHEMI præeunte sagacis  
Censura, amborum meritis respirat Apollo.  
Frater & alter adest PAULUS, quem Norica Uirgo  
Miratur, Patris & Fratris monumenta tuetur  
Prisca, fovet famam, laudesq; Genusq; FREHERUM  
Tu quoq; RE ME juva Latine gentile loquella  
Conserve decus; GENTILI auctore, tuoq;

Et



*Et Graie & Latia ducuntur numine Musa.*

*Utq; erepta TRIAS procerum clarissima, quorum  
Theiologia, Themis, Sophie, divaque camæne  
Florebant; Hosteis quorum virtute tremebant.*

*Sic alios RERUM servet Rex Marte, vel arte  
Qui curæ patriæ flectant hoc tempore habenas,  
Quo concussa Fides, & multis utile bellum,  
Faxit, ut unanims Teuton sub Cesare vivat.*



Seqq. Epitaphia.  
D. PHILIPPI MORNÆI PLESSÆI, &c.  
Memoriæ

**Q**uem genus, & pietas, quem Mars, atq; incluta virtus  
Æthereis parili junxit honore polis.  
Heu! jacet hoc tumulo, famâ super æthera notus  
MORNÆUS superum gloria, lux & honor.  
Æquè inter doctos DOCTOR confederat, atque  
Militibus DUCTOR præfuit, æquus eques.  
Liligeris carus Plessæus Regibus, auxit  
Publica, qui fidei fidus amavit opus.

D. ISAACO CASUBONO &c.

**E**xierat canas aurâ præclara Lemanni  
Apud Gebennas gloria,  
CASUBONUS erat, multâ quem maximus ille  
ERRICVS auxit adoreâ;

JACOBO



JACOBO, Oceani qui doctâ flecti habenas  
Prudentiâ, carissimus;  
Historias, linguas, divinæ oracula mentis,  
Tractaverat vir unicus;  
Heic jacet, Aseræi jacet unâ gloria Montis,  
Et nostra commoda heu (jacent.  
Alta sed invehitur niveis tua fama quadrigis,  
CAUSA BONA fruis ceris,

D. MARQVARDO FREHERO &c.

Affanijs viduata Themis cui culta, FREHERVS,  
Prudentiæ antistes catus,  
Qui conservavit Procerûm sanctissima jura,  
Qui Principum vixit bono  
Quo vivo veterum vixerunt saxa, loquellæ  
Splendor Latinæ redditus,  
Heic jacet, ac superûm divino nectare vivit  
Tumbâ Necrinâ conditus.

F I N I S.



№ 1996

8

U

ULB Halle 3  
 002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 / 1996 /

U 8 17


M

DX









YRIACI HERDESIANI. U. J. D. 122

TRIVM VIRALIS LESSUS 137

Seu  
Super obitum  
Trium

*Cl. 2589*

Incomparabilis doctrinae, & prudentiae  
HEROUM

MILIPPI MORNÆI PLESSÆI, ARCIS  
ET PROVINCIÆ SALMURIENSIS PRÆSIDIS,  
CHRISTIANISS. GALL. REG.

MAACI CASVBONI, SAPIENTISSIMO  
BRITANNIARUM & C. MONARCHÆ,

MARQVARDI FREHERI, SERENISS.  
ELECTOR. PALAT.

A CONSILIIS

Hoc Anno M. DC. XIV. pia constantia,  
& constanti pietate

*In Gallia, Anglia, Germania*

DEFUNCTORUM

LACRUMÆ

---

SERVESTÆ

Typis Zachariæ Dörfferi,  
Anno M. DC. XIV.